



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo**

**Zype, Frans van den**

**Antverpiæ, M. DC. XLV.**

Resp. VI. An coniuges citra parentum aut tutorum aßensum coniuncti,  
inuicem hic alimenta debeant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

hactenus landatam, sponte ver-  
cundiam omnem exuisse, atque  
vltro se infra dedecus meretri-  
cum scripto huiusmodi collocasse?

RESPONSVM VI.

An coniuges circa parentum  
aut tutorum assensum con-  
iuncti inuicem hic ali-  
menta debeant?

**E**Dictis anni 1540. & 1623. su-  
per minorennium matrimo-  
nys citra consensum tutorum aut  
parentum inuis, quorum substantiam  
retulimus in Notitia iuris Belg. tit. de  
sponsal. cum decretum sit, vt neuter  
ab altero quidquam lucri sine per  
contractu matrimonij, seu quomo-  
documque alijs acquirere possit,  
quæsitum est, an vxor ali à mari-  
to vel contra debeat, cum sic con-  
traxerunt? quoad parentes expres-  
sum est diserte, vt aduersus illos  
etiam alimentorum nomine actio  
nulla detur: quoad coniuges inui-  
cem; non æquè, videri tamen po-  
test etiam lucri nomine excludi.  
verius tamen videtur lucrum ibi  
accipiendum esse iuxta subiectam  
materiam de qua ibidem agitur,  
de duarijs; legalibus, consuetudi-  
narijs & conuentijs: ijsque quæ  
per causam matrimonij commo-  
da merè lucratiua sunt. vt diximus  
vbi supra. consequenter dicendum  
est obligationes, effectusque con-  
iugales per edicta non impediri.  
adeoque per mores maritum fie-  
ri mamburnum, & tutorem per-  
sonæ, vxoris, & administratorem  
bonorum ipsius; caput mulieris &  
familia: vxorem debere marito  
reuerentiam, & subiectionem; le-  
ges societatis coniugis vel per  
statuta inducās, vel per contra-  
ctum pactas & officia naturā de-  
bita coniugibus, qui iam vnacaro  
facti sunt, seruari oportere;  
adeoque inuicem coniugalia ob-

sequia deberi; & proinde alimen-  
ta alterum, cui satis est, præstare  
alteri egenti debere. hæc enim  
sunt non lucra, sed reciproca con-  
iugum debita: quæ à naturali æ-  
quitate fluunt, ad quæ proinde ex-  
tendi non debet odiosa & pœnalis  
dispositio, sed lucra strictè accipi,  
atque in rigore verbi debent: sicut  
odia restringi; & fauores matri-  
moniales conuenit ampliari. ita  
vt contra ius vetus correctio &  
pœna non expressa non recipia-  
tur.

Obtinet ergo alimentorum ob-  
ligatio inter eos, qui sunt coniu-  
ges. qualitas verò quæ obligatio-  
nem parit, inesse debet agenti:  
quia sine actione, adeoque matre  
illius obligatione, nemo potest  
experiri: at hic matrimonium nul-  
litate accusatur: an igitur præiu-  
diciali illa quæstione pendente  
alimenta addicenda sunt? lite pen-  
dente nihil innouandum est: &  
hi coniuges fuerunt in mutua  
coniugij possessione, retinendi er-  
go sunt in illa: adeoque alendi de-  
bito: donec super nullitate succe-  
dat definitio. l. 5. §. si vel parens. h. 7.  
D. De agnos. lib. Accedit quod in-  
strumenta contracti matrimonij  
secundum apparentem formam  
Concilij Trid. sint liquida: excep-  
tio nullitatis, & non proprij pa-  
rochi hactenus obscura penitio-  
rem indaginem requirens: adeo-  
que illa inquisitione pendente  
provisionalia alimenta sub cautio-  
ne addicenda sunt. d. §. si vel. d. l.  
7. quod & in apparenti tantum  
præsumptione tenet Afflic. decis.  
152. Specul. tit. qui fil. leg. §. 1. n. 32.  
sed quoniam rursus tam super nul-  
litate, quam alimentis causæ con-  
clusæ sunt, præiudicialis nullita-  
tis coniugij quæstio prius est pro-  
nuntianda. c. 1. §. 101. tit. X. de ord.  
cog. & secundum eam alimenta  
exinde, vel addicenda, vel negan-  
ganda. d. l. 7.

An autem præterita alimenta  
addicenda sint, an tantum futu-

2.  
Adeoque  
& alimenta

3.  
An & lite  
pendente  
super con-  
iugio?

4.  
An & præ-  
terita?

1.  
Quid in  
edictis no-  
mine lucri  
veniat, an  
& obsequia  
coniuga-  
lia?

ra? pluries reus Actricem asserit Parisijs huc venisse, vt coniugalem actionē institueret, adeoque inchoata aditio hęc Iudicis, primum liti præstat, ex eoque tempore ad effectum alimentorum lis inchoata conferi potest.

Addicenda autem alimenta conferuntur ex quo peti cœperunt: præteriti autem temporis alimenta addicenda nõ videntur. quia cum tantum debeantur officio Iudicis, non via actionis; qui aliunde de præterito vixit, ea petere non potest. *Faber in Cod. suo l. 4. t. 7. d. 20. post Bart. in l. libertus quod §. 1. n. 3. D. de alimen. leg. vbi id asserit in filio respectu patris: Rota decis. 305. in nou. inc. monachus profes. in monacho respectu abbatis: Decius in c. Episcopus X. de preb. in ordinato sine titulo respectu Ordinantis: Alexand. vol. 4. conf. 27. n. 2. in vidua intra annum luctus non agente respectu hæredum: Castrensis in l. diuortio 8. n. 6. D. sol. mar. & generatim Felin. in c. ex parte x. de accus. in fin. Auth. Afflict. decis. 10. in fin. & iusta est ratio, quia de præterito nemo viuit, sed transijt ea cura, vnde leges de præteritis alimentis transigi permittunt, non de futuris. l. alimentis. C. de transact.*

Alimenta, quæ à coniugibus iniuicem præstanda sunt, officio Iudicis, non via actionis debentur, dum nullus est contractus qui eam passionem habet; vel quasi; non maleficium vel quasi: siue quibus non datur actio. §. namque agit. Inst. de act. nec hæc, sine obligatione. l. licet. §. 11. D. de procur. sed gignit hæc instinctus naturalis, & æquitas. & vbi hæc subest, & illa deest, datur officium Iudicis. l. plane. l. fin. D. de petit. hæred. l. Quintus. §. Pompon. D. de alim. leg.

Quod autem obijcitur maritum, qui indotatam vxorem accipit, non teneri ad alimenta, si patrem illa habeat sufficientem: arg. l. quod hi nulla. 28. D. de relig. & sumpt. fun. vbi id deciditur quoad sumptus funerata vxoris, quin imò Fulgos. ad d. l. 28. contendit dari re petitionem marito, qui aluit vxorem, si aliunde habeat ipsa, aut patrem opulentum, dixi indotatam: alioquin indubiè teneretur maritus. l. dotis fructus. D. de iur. dot. l. fin. in fin. D. de iur. dot. & non pater: l. si quis. §. sed etsi filius. D. de lib. agnos. at verò patris legitimi officium est dotare filium secundum suam qualitatem: at hic non est pater legitimus, & adulterinam filiam iure civili nequidem alere teneretur. l. §. idem rescriptis. D. De agnos. & d. lib. Auth. Quib. mod. nat. ejus. sui. §. discretis. §. fin. §. oportet. vxor splendere dicitur radijs mariti, dignitatem & domicilium ab eo sortiri. l. 1. t. C. de incol. l. 10. ergo maritus pro sua qualitate id præstare debet, quod non debet pater, & quamuis iure canonum pater etiam ex illicito coitu natam prolem pro ratione facultatis teneatur alere. c. 5. in fin. X. de eo qui ducit quam polluit per adult. tamen id eo vergit ne fame tales pereant: quia necare videtur qui non alit. Luca. re. D. de agnos. lib. non vt auferat debita maritalia, quæ non tantum pietatis, sed & politia ratio induxit in societate coniugali.

Qui filij sint legitimi.

RESPONSVM I.

De natis ex matrimonio putatiuo.

**L**Egitimos filios nasci constat ex matrimonio legitimo, c. 9. x. qui filij sint legit. non tantum, sed etiam ex nullo sepe, & irritum, cum in facie ecclesie bona fide contractum fuerit. c. 2. c. 11. c. 14. X. eod. etiam ad effectum succedendi in hæreditatem parentum. d. c. 2. & c. 11. etiam quoad seu. dia,

Quid si  
maritus  
indotatam  
vxorem  
accipit?